



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XV. Admonitio praelatorum ad populum sibi commissum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

442 INNOCENTIUS CONCILIVM FRIDERICVS II. IMP.
P. IV. S. LUDOVICVS REX FRANC.

exceptorum, præter huiusmodi Crucesignatos, & proficiscentes, de redditibus ecclesiasticis vltra valentiam centum marcarum argenti percipiunt; annuatim tertia pars residui, ipsius imperii subfido colligenda, per eos qui ad hoc apostolica fuerint ordinati prouidentia, vsque ad triennium integræ deputentur, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus vel statutis ecclesiarum, seu quibuslibet indulgentiis ipsis ecclesiis vel personis ab apostolica sede concessis, iuramento aut quacumque firmitate alia roboratis: & si forte super hoc scienter fraudem commiserint, sententiam excommunicationis incurant. Nos vero de obuentiis ecclesiæ Romanæ, deducta prius ex eis decima succursui terræ deputanda prædictæ, decimam prædicti pro subuentione imperii plenarie tribuemus. Porro, cum idem iuuatur imperium, auxilium præstatur potissime ipsi terræ, ac ad recuperationem eius præcipue insititur, dum ad ipsius liberationem imperii laboratur, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indignis, ligandi atque soluendi contulit potestate, omnibus eidem imperio succurrentibus illum suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsisque illo priuilegio eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ terræ subuenientibus conceduntur.

X V.

Perennis obtentu patriæ a longis retro temporibus pro redimenda terra, quam Dei Filius asper-

INNOCENTIVS LVGDVNENSE I. FRIDERICVS II. IMP.
P. IV. S. LUDOVICVS REX FRANC. 443

ANNO
CHRISTI
1443
sione sui sanguinis consecravit, vniuersitas filiorum ecclesiæ non solum expensas innumeratas, sed inæstimabilem cruoris affluentiam noscitur effusisse, sicut ex eo mœsti corde colligimus, quod pridem contra fideles pugnantibus impiis accidit in partibus transmarinis. Verum cum propter hoc sit in sedis apostolicæ voto potissimum, ut de ipsius redemptione terræ communis desiderii cito Deo propitio proueniat complementum, digne prouidimus, ut ad procurandum Dei fauorem vos nostris literis excitemus. Rogamus itaque vniuersitatem vestram, & obsecramus in Domino Iesu Christo, mandantes quatenus singuli vestrum fideles populos vestræ curæ commissos in vestris prædicationibus, vel quando pœnitentiam ipsis iniungitis, piis monitis inducati, concessa super hoc, prout expedire videritis, indulgentia speciali, ut in testamentis, quæ pro tempore fecerint, aliquid in terræ sanctæ, vel imperii Romaniæ subsidium, pro suorum peccaminum remissione relinquant: attentius prouisuri, ut quod ipsi ad Crucifixi reuerentiam habendo respectum in pecunia pro huiusmodi subuentione dederint, in certis locis sub sigillis vestris conseruari fideliter, & illa, quæ in rebus aliis ad hoc legata fuerint, diligenter in scriptis redigi faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo sola causa Dei queritur, & salus fidelium procuratur, sic vestra sinceritas promptis prosequatur affectibus, ut tandem securi de manu superni Iudicis cœlestis gloriæ præmium expectetis.

Concil. Tom. 28.

K k k ij